

secundum carnem essent filii Abrahæ, tamen in ejus semine non computantur sicut *Isaac* et *Jacob*: 2º. ex testimoniis *Oseæ* ac *Isaïæ*, quæ docent vocatos non ex Judæis solum sed et ex gentibus: 3º. ex eo quod sicut justitia non est ex lege sed ex fide, quæ omnibus proponitur, sic filiatio Abrahæ, cui facta de Christo promissio, ex omnibus, et hinc non ex solis Judæis, sed etiam ex gentilibus sit accipienda: 4º. quia salus obvenit mundo ex Dei gratia, non ex operibus, alioqui gratia non esset gratia: Deum autem non solum Judæis dare gratiam sed etiam gentilibus probat quoque testimoniis Scripturarum.

Ex his vero evidenter sequitur 3º. *propositio*, nempe Evangelium omnibus indistincte, tam gentilibus quam Judæis, esse prædicandum. Unde cum pateat scopum potius oppositum esse conclusioni objectionis, nunc ad sensum objectionum exponendum transimus.

Et quidem *Ad 1ºm*. R. *odium* non sumi stricte et absolute, sed minus stricte et comparative nempe pro minori dilectione, quo sensu accipitur Deut. 21. 15., Matth. 10. 37. et Luc. 14. 26. et in hac significatione secundum sensum historicum Deus *Jacob* dilexit, quatenus ejus posteritati dedit terram lacte et melle fluentem; *Esau* autem odio habuit, quatenus Idumæis ejus posteris dedit terram sterilem, et ut Malach. 1. 3. inquit: *Posuit montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti*. Secundum sensum mysticum autem, quatenus gratuito Jacobi posteris majora gratiæ dona concessit quam *Esau* filiis.

Ad 2ºm. R. Deus gratuito miseretur cujus vult, quia nemini suam gratiam debet: neminem tamen nisi præsupposita peccati malitia excæcat et obdurat, et quidem non positive et impertiendo malitiam, sed permissive tantum et non largiendo gratiam, non quidem nullam, sed efficacem aut majorem.

Ad 3ºm. R. Similiter Deus alium facit gratuito *vas in honorem* per vocationem ad fidem: alium relinquendo suæ malitiæ ac obdurationi et sic permissive tantum facit *vas in contumeliam*; unde et dicitur ibidem sustinere vasa hujusmodi in multa patientia: quod tamen in iisdem addatur ostendere iram suam, potentiam ac virtutem, id tantum intentione secundaria contingit, secundum quam, prævisa voluntatis in malo contumacia, deinceps utitur in bonum, id est in manifestationem suæ justitiæ et utilitatem electorum.

Ad 4ºm. R. Non esse *currentis* ac *volentis*, sed *miserentis Dei*; tum quia nemo propriis suis viribus et sine gratia currit aut vult: tum quia quantumvis per proprias vires currat ac velit, nihil prodest ad coronam comprehendendam: unde solius Dei per gratiam miserentis est, quæ et gratis datur, et præcipuas partes habet in opere ac cursu salutari.

Inst. 1. Deus imprimis non vult exaudire peccatores, ut patet ex 2. Mach. 9. de *Antiocho*, et Joan. 9. ex *cæci nati* sermone: deinde prohibet sæpius, ne fiat oratio pro peccatoribus, quemadmodum Jerem. 7. Prophetæ, et 1. Reg. 16. *Samueli* prohibuit, ac 1. Joan. 5. 16. Scriptura ait: *est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*; ergo Deus non vult omnes homines salvos fieri.

R. *Quoad 1ºm*. D. Deus non audit peccatores impœnitentes, de quibus paræmia cæci nati apud Joannem loquentis intelligi debet C. non audit pœnitentes *Subd.* fecte duntaxat nec sincere pœnitentes, ad quos *Antiochus* memoratus pertinebat C. vere ac sincere pœnitentes N.

Quoad 2ºm. D. Prohibet ne fiat oratio pro iis, qui in peccato obstinati vivunt aut finaliter impœnitentes sunt T. pro aliis N. Sicut Deus juste negat auxilia abundantiora obstinatis et impœnitentibus, tum quod alias gratias repudiarent, tum quod ex propria malitia repudiaturi ulterius dandas prævidentur; sic et juste potest prohibere ne sancti orent pro impetrando illis gratiæ auxilio: sicut tamen in *primo* casu non carent penitus omni auxilio etiam sufficienti peccatores ejusmodi, sic nec in *secundo* intelligi potest Deus nolens sufficientes gratias dare. Dixi autem, *Transeat*; tum quia Joannes non prohibet orationem, sed duntaxat eandem, utpote ex hominum malitia futuram inutilem, non imperat aut suadet: tum quia prohibitio Dei in prioribus est ex supposito prævisæ obstinationis et finalis impœnitentiæ; adeoque non pertinet ad voluntatem antecedentem, sed consequentem.

Inst. 2. Omnis voluntas Dei vera et sincera semper impletur, et nihil ei resistit, ut ex Genes. 50. 19, Psal. 113. 3, Eslh. 13. 9, Isa. 46. 10, Dan. 4. 32, ad Rom. 9. 19, constat: sed soli electi et prædestinati, non autem omnes prorsus homines salvantur; ergo nec Deus vere ac sincere vult omnes homines salvari.

R. D. M. omnis voluntas Dei semper impletur sub aliqua ratione C. sub omni ratione *Subd.* si est voluntas absoluta et consequens C. si conditionata est et antecedens N. Quatenus Deus de iis qui faciunt quod non vult, facit ipse quod vult; aut quatenus qui recedere videntur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabuntur in ipsam secundum alium; eatenus juxta *Aug.* et *D. Thom.* dici potest voluntas Dei semper impleri: quod autem voluntas conditionata alio sensu semper impleatur, nec ex Scriptura habetur, ubi potius legitur ex supra dictis contrarium; nec ad hoc, ut efficax dicatur, requiritur ut fiat quod intenditur; sed ut adhibita conditione fiat quod volumus, et ea sublata non fiat.

194. *Obj. II.* Præcipuum dogmatis nostri præsidium petitur ex illa Pauli sententia: *Deus vult omnes homines salvos fieri*: sed hæc nec debet ad omnes et singulos trahi; ergo. *Prob. min.* SS. Patres damnant et redarguunt hanc extensionem; nam *Aug.* ep. 107. (al. 217. c. 6. n. 19), asserit eos, qui Apostoli verba de omnibus generatim hominibus exponunt, *non intelligere omnino qua locutione sit dictum quod omnes homines vult Deus salvos fieri; cum tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis*. Idem repetit ipse L. 4. cont. Julian. c. 8. n. 42., seqq. *Prosp.* in ep. ad Ruffin. c. 13. *Fulgent.* in L. de Incarn. (al. ep. 17). c. 29. Ergo ejus sententia trahi non potest ad omnes et singulos.

R. N. *min.* *Ad prob. 1ºm*. p. D. A. Patres damnant hanc extensionem in sensu Pelagianorum et Semipelagianorum, seu cum eorum erroribus conjunctam C. in sensu orthodoxorum, et ab eorum erroribus puram N. Confutat autem hic loci *Aug.* errorem 3ºm., *Prosp.* et *Fulg.* errorem 1ºm., ut ex contextu patet. Cæterum ab iisdem admitti generalem salvandi omnes voluntatem liquet tum ex eorum sententiis, tum ex illa *Aug.* notatione, quam L. 1. *Retract.* c. 16. adjungit: *Quod dixi, illud lumen pura eorum corda pascit, qui Deo credunt et se ad ejus præcepta servanda convertunt, quod omnes homines possunt, si velint; non existiment novi hæretici Pelagiani*

secundum eos esse dictum. Verum est enim omnino, omnes hoc posse, si velint: sed preparatur voluntas a Domino, et tantum augetur munere charitatis, ut possint. Quibus verbis aperte fatetur, omnes homines salvari posse, si velint, modo illud velle tribuatur voluntati preparatae a Deo per gratiam, non autem relictæ propriis viribus.

Inst. 1. SS. Patres explicant hanc sententiam de voluntate Dei salvandi tantum prædestinatos. Hinc enim triplicem expositionem affert Aug. 1º. quidem, ut sit locutio causalis, quatenus Deus vult omnes salvos fieri, quia nos facit velle, ut L. de corr. et gr. c. 14. et L. 22. de Civ. c. 1. habet: 2º. ut sit distributio accommodata negativa, quatenus nullus salvatur, nisi quem vult Deus salvare; et hoc in ep. 107. (al. 217. n. 49). Enchir. c. 103., L. de prædest. c. 8. n. 14. refert: 3º. ut sit distributio accommodata affirmativa pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum; ita rursus in Enchir. c. 103. et in L. de corr. et gr. c. 14. exponit; cui accedunt S. PROSPER Carin. de ingr. c. 16. Fulgēt. L. de Incarn. (al. ep. 17.) c. 3., Patres Africani exules in epist. Synodica c. 14. n. 15. Ergo non debet voluntas Dei ad omnes trahi.

R. D. A. Patres explicant hanc sententiam de voluntate Dei salvandi tantum prædestinatos, ubi loquuntur de voluntate Dei absoluta, efficaci et consequente C. ubi loquuntur de voluntate Dei conditionata, inefficaci ac antecedente N. Unde etiam D. Cons. Ergo voluntas Dei absoluta et consequens non debet trahi ad omnes C. voluntas Dei conditionata et antecedens N. Loqui in his interpretationibus Aug. de voluntate absoluta et efficaci, satis colligi potest ex uno textu L. de correptione et gratia c. 14., utpote in quo tres illas expositiones adducit; sic autem ibidem loquitur: *Dictum est, omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur prædestinati.... Non est itaque dubitandum voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult facit.* Idem constat ex contextu de reliquis Patribus; nam PROSPER loquitur de voluntate, quæ ipsa suum consummat opus: FULG. rationem hanc addit; quia Deus noster omnia, quæcumque voluit fecit: Patres Africani autem similem his verbis; semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur, quia potestas ejus nullatenus vincitur. Quamvis vero sub hac distinctione expositionem AUGUSTINI admittamus, eamque textui Paulino per aliquam accommodationem aptari posse demus; tamen paraphrasis ista obvia ac naturalis non est, ut ex dictis patet; nec etiam talis AUGUSTINO est habita, quod colligitur tum ex hoc, quia expositionem de prædestinatis adhibuit sub hac formula, *potest intelligi*, a qua tamen abstinēt in L. de Sp. et lit., L. de Catech. rud. et L. 1. Retr. alibi que, ubi textus secundum sensum suum proprium ab eo ad omnes extenditur: tum quod priorem tantum usurpet in certamine contra Pelagianos ad eorum objectiones ex eorum principiis diluendas; posteriorem autem, cum ipse quæstionem de hac materia ex propria sententia instituit ac definit.

Inst. 2. Si posset aut deberet hæc sententia extendi ad omnes; ergo debuisse esse aliqua ratio urgens, cur SS. Patres præcipue in pugna contra Pelagianos et Semipelagianos non protulerint illam explicationem de voluntate generali, sed restrinxerint ad prædestinatos: talis autem nulla assignari potest; ergo.

R. N. min. Ratio cur contra Pelagianos non protulerint sensum textus universalem est, quia illi admiserant voluntatem in Deo salvandi omnes, cui tamen dogmati adjugebant errores alios: unde Patribus non illam probandi, sed hos expugnandi necessitas erat. Ratio vero restringendi voluntatem ad prædestinatos Patribus contra hæreticos agentibus fuit, quia, cum hi dicerent voluntatem salvandi omnes esse indiscretam et prorsus æqualem, quod autem hi præ illis salvarentur, in humanam duntaxat voluntatem solis naturæ viribus agentem esse referendum, sequebatur, aut Deum nullo modo habere specialem quamdam et efficacem voluntatem circa salutem hominum, aut siquidem hanc Deus ex parte sua haberet eandem, tamen ab hominibus frustrari posse. Patres primo errori apposuerunt divinum propositum, quo electi peculiari quadam et efficaci voluntate ad salutem sunt prædestinati; secundo autem omnipotentiam Dei, cui, ut Aug. L. de correptione et gratia c. 14. ait, *volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium.* Contra hæc cum objicerent hæretici textum Apostoli, reponebant imprimis perperam ex eo colligi Deum non aliter velle salvos fieri prædestinatos quam reprobos; quo evertebatur error primus: deinde dicebant eum exponi posse de voluntate efficaci circa prædestinatos; quo admissio urgebant maxime ab exemplo parvulorum falsitatem erroris secundi, salutem duntaxat in hominum voluntatem referentis.

Inst. 3. ECCLESIA LUGDUNENSIS, unaque cum ea PRUDENTIUS TRECENSIS, LUPUS FERRARIENSIS, RATRAMNUS CORBEIENSIS alique, sub seculum nonum, 1º. in L. de tenenda veritate Scripturæ reprobavit Canonem tertium Conc. Carisiaci sup. relatum: 2º. ibidem approbavit dogma Goteschalci, voluntatem salvandi ad solos electos restringentis: 3º. in L. de tribus epistolis vel tres allatas AUGUSTINI expositiones circa voluntatem salvandi omnes tantum admisit, et nostram penitus rejecit; vel illas ut probabiliores defendit, nostram autem tantum ut pia quadam ratione a veritate non abhorrentem toleravit; ergo.

R. Quoad 1º. N. Ass. Ecclesia Lugdunensis non reprobavit doctrinam canonis tertii Carisiaci de voluntate generali circa omnium salutem; sed id unum improbat, quod in eo statuta sit interpretatio textus Apostolici pro salute omnium tanquam unica et unice vera; expositio autem SS. Patrum de voluntate efficaci, ad aliquos duntaxat extensa fuerit, rejecta et exclusa: in quo tamen errabat errore facti.

Quoad 2º. D. Laudat dogma Goteschalci, voluntatem salvandi ad solos electos restringentis, quem tamen sive errore facti sive vere putabat non excludere hanc voluntatem generalem pro salute omnium C. quem putabat excludere hanc voluntatem N.

Quoad 3º. N. 1º. Ass. Ecclesiam Lugdunensem in neutro libro nobis repugnare manifeste constat. Nam in L. de tenenda ver. Script. c. 12. ait, eum qui docet, ex Apostoli sensu, Deum velle solos electos salvos fieri, et alterum qui asserit, ex ejusdem mente, Deum velle omnes generaliter fieri salvos, *fideliter et unanimiter concordare*; quia prior Apostolum explicat de voluntate efficaci et consequente, quin excludat generalem et antecedentem, quam Ecclesia hæc vocat *voluntatem bonitatis creatoris*: alter autem explicat de voluntate antecedente et generali erga omnes, non excludendo voluntatem consequentem et absolutam pro solis electis. In L. de trib. epist. autem c. 12. asserit sententiam quæ statuit voluntatem generalem salutis

omnium, fideliter posse recipi atque a SS. Patribus fuisse probatam : c. 24. addit eandem esse honorandam : c. 28. ait, certissimum esse, Deum velle omnes etiam reprobos salvos fieri, ita tamen ut eos omnino non salvet ; aut, ut c. 13. docet, recipi posse hoc dogma, si hanc voluntatem bonitatis erga salutem hominum non credatur, humana obsistente voluntate, Deum implere non posse, sed obsistente humana iniquitate implere nolle.

Unde 2^{um}. Ass. D. Expositiones Aug. admisit ut probabiliores, sumendo voluntatem Dei secundum frequentiore in Scriptura usum C. sumendo secundum absolutam dogmatis veritatem N. Quia in Scripturis voluntas divina simpliciter enuntiata sæpius describitur tanquam efficacissima ; hinc *Ecclesia Lugdunensis* per voluntatem simpliciter et sine addito expressam hic intellexit voluntatem consequentem, adeoque ad solos electos extendi contendebat ; non tamen aliam in Deo voluntatem etiam antecedentem negabat, ut ex allatis manifestum est.

Inst. 4. Voluntas generalis salvandi omnes, hoc ipso quod sit antecedens, juxta S. THOMAM est primo tantum velleitas, ut patet ex p. 1. q. 19. a. 6. ad 1. Secundo est iners et otiosa, quia ut in 1^{um}. dist. 47. q. 1. a. 2. ait : *operatio non correspondet voluntati Dei antecedenti, sed consequenti ; et voluntas antecedens non habet effectum, nisi consequens adjungatur. Tertio* habet pro objecto rem mere imaginariam et fictitiam ; quia juxta eundem locis mox cit. natura hominis, in se considerata et præcisa a circumstantiis, tantum sub voluntatem Dei antecedentem cadit ; ergo.

R. Quoad 1^{um}. D. A. Voluntas generalis salvandi omnes, seu antecedens, juxta S. THOMAM est tantum velleitas, quantum illa spectatur secundum se ac in seipsa est N. quantum comparatur ad voluntatem absolutam et consequentem C. Voluntatem antecedentem quoad se, non esse in Deo suspensionem actus aut quamdam imperfectionem vel signum duntaxat volitionis, sed veram ac propriam beneplaciti voluntatem, ipse S. Doctor de verit. q. 23. a. 3., in 1^{um}. dist. 47. q. 1. a. 2., in ep. 1. ad Tim. c. 2. alibi declarat : dicit tamen velleitatem, voluntatem secundum quid, imperfectam et minus integram, comparative ad voluntatem consequentem ; quia hæc est voluntas absoluta, voluntas simpliciter talis, quæ ex omni parte perficitur et integritatem etiam finis obtinet. Ubi tamen notandum, quod quamvis voluntas antecedens possit vocari inefficax respectu finis, nempe salutis æternæ, utpote quam non semper obtinet et efficit ; tamen sit efficax respectu mediæ seu auxiliorum sufficientium ad finem hunc obtinendum : unde patet quod ex hoc capite recte vocari possit vera voluntas.

Quoad 2^{um}. N. Ass. Ratio patet ex proxime notatis et confirmatur ex S. THOM., qui in 1^{um}. dist. 46. q. 1. a. 1. Sic ait : *Hujus quippe voluntatis effectus est ipse ordo nature in finem salutis, et promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia quam gratuita. Hinc text. D. operatio effectus principalis, nempe collatio auxilii efficacis ex parte Dei et assecutio salutis ex parte hominis, non respondet voluntati antecedenti, sed consequenti C. operatio effectus minus principalis, nempe ordinatio ad finem salutis et collatio auxilii sufficientis N.*

Quoad 3^{um}. N. Ant. Aliud enim est, rem esse imaginariam et mere fictitiam, aliud rem consideratam in se, abstrahendo a circumstantiis ; prius Deo convenire nequit ; posterius eidem tribuit D. THOMAS pluribus in locis, ex quibus

sufficiat commentarium in 1. ad Timoth. c. 2., ubi inquit : *In Deo salus omnium hominum in se considerata habet rationem ut sit volibilis... et sic ejus voluntas est antecedens ; sed si consideretur bonum justitiæ ; et quod peccata puniantur, sic non vult ; et hæc est voluntas consequens.*

193. Obj. III. In Deo non potest admitti voluntas conditionata, inefficax, et fundata in mentis abstractione ; 1^{um}, quidem, quia videtur indignum Deo voluntatem dependere a conditione, quam ponere vel non ponere ex Deo pendet ; 2^{um}, quia repugnat cum idea entis summe perfecti et summe potentis ; 3^{um}, quia nec ex parte intellectus, nec ex parte voluntatis divinæ locum habet abstractio : sed voluntas generalis salvandi omnes, conditionata et inefficax et fundata in mentis abstractione dicitur ; ergo.

R. Ad arg. Quoad 1^{um}. D. M. In Deo nequit admitti voluntas conditionata, cujus conditio unice dependeat a Deo T. cujus conditio dependeat simul a creatura N.

Quoad 2^{um}. D. M. Nequit in Deo admitti voluntas inefficax, quæ talis sit vel ex impotentia vel ex mutatione consilii C. quæ talis sit ex non posita a creaturis conditione, a qua Deus vel secundum leges ordinariæ providentiæ vel ad libertatem creatam tuendam libere voluit dependere effectum voluntatis N. Primum repugnet ideæ entis summe perfecti ac potentis ; secundum nequaquam, præsertim si attendatur ad alias rationes supra expositas, secundum quas Dei voluntas semper impleri recte dicitur.

Quoad 3^{um}. Rursus D. M. In Deo nequit admitti voluntas, quæ fundatur in abstractione formali, seu quæ se teneat ex parte intellectus divini, inferretque in eo limitationem et imperfectionem C. quæ fundatur in mentis abstractione objectiva, seu quæ se teneat duntaxat ex parte objecti cogniti, et sic in eodem varios status et conceptus objectivos supponit, secundum quos cognosci possit N. Sicut autem ex posteriori capite, juxta Theologos omnes, sine ulla in Deum redundante imperfectione statuitur scientia visionis et simplicis intelligentiæ, sic et statui potest voluntas antecedens et consequens. Atque huc referendum est illud, quod dixit S. THOM. p. 1. q. 19. a. 6. ad 1. *Hæc distinctio non petitur ex parte voluntatis divinæ, in qua nihil prius vel posterius, sed ex parte volitorum. Et in 1^{um}. dist. 46. a. 1. Hoc (quod voluntas in Deo sit duplex) contingit non ex aliqua diversitate voluntatis divinæ, sed propter diversas conditiones voliti.*

Inst. 1. Voluntas illa generalis salvandi omnes non est seria ; ergo. Prob. Ant. 1^o. Deus non potest serio velle id, quod præscit non esse futurum : sed præscit non esse futuram reprobatorum salutem ; ergo. 2^o. Si Deus serio vellet omnium salutem, deberet omnibus dare auxilia, quæ per scientiam mediæ prævidet efficacia ; quia sicut si medicus haberet medium efficacis, quod sciret certissime esse sanitatem allaturum, et simul aliud, quod sciret certissime nihil profuturum, et omisso primo applicaret secundum, non posset dici serio velle sanitatem ægri, sic idem in casu nostro dicendum est : sed Deus auxilia ejusmodi non dat ; ergo. 3^o. Qui vult aliquem effectum conditionate seu sub conditione, quam vel solus vel saltem cum alio facile implere potest et non implet, non censetur serio velle talem effectum : sed Deus sic vult salutem reprobatorum sub conditione finalis perseverantiæ,

quam ille solus vel saltem cum reprobo facile implere potest per auxilium speciale, et tamen non implet; ergo.

R. N. A. Observa hic discrimen esse inter voluntatem *absolutam* et *seriam*; prior enim vult objectum suum omni modo et sine ulla limitatione, adeoque non tenetur duntaxat ad media præstanda, quæ sufficienti ad illum finem assequendum aut objectum ponendum, sed et ad ea, quibus certo ac infallibiliter obtineatur finis seu ponatur objectum: posterior autem habetur etiam, si velit finem vel objectum certo quodam modo et sub aliqua conditione, ut patet tum in pluribus volitionibus humanis, tum ex eo quod, posita conditione vel modo, sequatur ipse effectus et finis; adeoque obligatur quidem ad ponenda media, quæ ad ipsam spectant, sufficientia, quibus potest et poni conditio et obtineri finis, non autem ad ea, quibus absolute ac infallibiliter obtineatur. His suppositis

Ad prob. 1^{am}. N. vel D. M. Deus non potest serio velle, quod præscit non esse futurum ex defectu se tenente ex parte sui C. ex defectu se tenente ex parte alterius *subd.* non potest serio velle voluntate absoluta et consequente C. voluntate conditionata et antecedente N.

Ad prob. 2^{am}. Rursus N. vel D. M. Si Deus serio vellet voluntate absoluta omnium salutem, deberet dare media quæ per scientiam mediam prævidet efficacia C. si serio velit voluntate solum conditionata N. Eadem responsio tenet in paritate allata, si quidem medicina non prævideatur nil profutura ob inefficaciam ex ipsa medicinæ *natura* proveniente, sed ex ægri *voluntate* medicinam hanc applicare nolentis. Præterea *disparitas* est, quod sanitas non detur ægro per modum præmii, atque hinc medicus non debeat attendere libertatem ejusdem, et vel ex contractu cum ægro aut republica, vel ex charitate teneatur ad medicinam absolute profuturam: e contra cum Deus saltem adultis det salutem per modum præmii, debet attendere ad meritum et libertatem; ac præterea ex nullo titulo tenetur ad danda specialia et efficacia auxilia, sed duntaxat ad ordinaria et sufficientia.

Ad prob. 3^{am}. R. *quoad* 1^{um}. *memb.* N. *min.* quia perseverantia finalis ex alibi dicendis vel formaliter habetur vel saltem dependet a cooperatione libera, quæ poni debet a creatura: *Quoad* 2^{um}. *memb.* D. M. Non censetur serio velle omni modo et sine ulla limitatione effectum, qui eundem sub conditione vult, quam cum alio facile implere potest et tamen non implet C. non censetur serio velle certo quodam modo et sub certa limitatione N. Alii *subd.* qui eundem effectum vult sub conditione, quam cum alio facile et æque connaturaliter implere potest, nec tamen implet T. quam non potest æque connaturaliter implere N. Deus juxta hoc nec ut conservator naturæ nec ut auctor libertatis potest æque connaturaliter reprobis dare auxilia specialia, quia ut talis ea dat secundum opportunitatem temporis et aliarum circumstantiarum seu cursum causarum secundarum, cui connaturalia sunt auxilia ordinaria non autem specialia: unde licet hæc reprobis nolit dare, vult tamen illos serio salvos fieri per auxilia ordinaria seu connaturaliter dabilia.

Inst. 2. Licet Deus habeat voluntatem antecedentem et conditionatam puniendi omnes homines, si in peccato decederent, tamen per hoc non dicitur serio velle omnes homines punire; ergo, licet habeat voluntatem antecedentem et conditionatam salvandi omnes homines, tamen vel per hoc non

debet dici serio velle omnium salutem, vel saltem non recte dicitur habere specialem et majorem affectum homines salvandi, quam damnandi; præsertim cum alias etiam dici posset serio velle salutem dæmonum et damnatorum.

R. *Tr. Supp. Ant.* Quia voluntas puniendi homines proprie non est antecedens, cum necessario præsupponat culpam non minus ac ipsa pœna; et N. *Cons. Disparitas* est, quia Deus salutem hominum ita vult conditionate, ut etiam *conditionem* seu opera bona fieri desideret, et ad ea det auxilia: e contra punitionem sic vult, ut ejus conditionem seu opera mala nullo modo desideret, sed potius illa prohibeat, et per comminationem pœnarum homines ab illis deterreat. Ad id quod additum est de *dæmonibus* ac *damnatis*, discrimen est, quod Deus tantum habeat affectum aliquem complacentiæ circa salutem dæmonum, et damnatorum ut possibilem, non autem voluntatem beneplaciti actuosam; unde nec circa eorum salutem aliquid operatur, utpote cujus illi incapaces sunt tanquam in termino constituti et obfirmati in malo, et quæ non jam amplius rationem habet boni appetibilis, quia non est consentanea divinæ justitiæ: contraria omnia reperiuntur in salute viatorum et voluntate tum ad illam tendente tum media sufficientia providente.

ARTICULUS III.

AN EADEM PROVIDENTIA SUPERNATURALIS PERTINEAT AD INFANTES SINE BAPTISMO MORIENTES?

196. Movetur controversia præsertim de infantibus illis, quibus, sive in utero materno vi solius nature morientibus, sive in lucem editis, nulla humana diligentia baptismus applicari posse videtur. Circa hanc non minus varia est tum errantium tum opinantium classis. 1^a. Est eorum qui negant dari in Deo voluntatem etiam *antecedentem* salvandi hos parvulos; sive quod universim voluntatem illam generalem cum hæreticis inficiuntur; sive quod hanc restringant ad adultos; sive quod eam quidem concedant circa salutem in se spectatam, non autem ut consideratam in circumstantiis divinatorum attributorum, vi quorum nempe contendunt Deum velle salutem quibusdam infantibus ad misericordie suæ ostensionem, aliis eam nolle ad justitiam suam manifestandam. 2^a. Eorum qui voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes parvulos hac tantum ratione admittunt, quatenus Deus paravit et in Ecclesia posuit baptismum seu medium salutis pro parvulis; quin tamen serio voluerit applicari baptismum, aut sufficienter de mediis providerit quibus applicari queat baptismus. 3^a. Eorum qui etiam hanc in Deo voluntatem applicationis et sufficientem provisionem statuunt, eam tamen dicunt dependere a *causis naturalibus* et *necessariis*; quatenus Deus serio vult applicari baptismum, nisi vel ubi non obstat cursus naturalis causarum secundarum, propter quem vel infans prius moritur, vel alii impediuntur quominus succurrant. 4^a. Denique est eorum qui eandem voluntatem dicunt dependere a voluntate aliena seu *causis liberis*. Volunt hi etiam, positis rebus ut nunc sunt, et supposito causarum naturalium cursu divinitus constituto, nullum ex parvulis, qui pereunt, esse qui non potuerit ad baptismum pervenire, nisi obstisset, vel si posita fuisset aliqua actio causarum liberarum. Porro inter eosdem nonnullum est discrimen; aliqui enim pro

